



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAЕ HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 18. Complures Turcarum seruitio eximu[n]tur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

omnes vtique non tam arboris, quam Virginis secundum Deum, opē seruati. Alij porrò, & piratarum, & tempestatis præsenti periculo erepti, dupli Lauretanæ Virginis munere. Nauis Anconitana Alexandrinis onusta mercibus Italiā repetebat. Cum esset in cursu, in piraticos complures incidit lembos, à quibus circumuenta bombardis, telisque oppugnabatur acerime. Christiani numero ac viribus longe impares diuini spe auxiliū Barbarorū impetu sustinebant. Inter hæc alijs alios hortantibus, cuncti pariter Lauretanā inuocant Virginem. Precibus adijciant votū. Mira dictu res. extemplo additi omnibus simul animi viresque. Redintegrato itaque prælio, hostium vimegregie repellunt. ita fauente Virgine, præsenti periculo exempti. Cæterum prædonum defuncti periculo dum curis soluti secundo feruntur vento, mutata repente tempestate, grauius maris adiere discrimin. Haud procul Aulone oppido ad Acroceraunios scopulos sito (Vélonam corrupto vocabulo vulgus appellat) atrox procella præsens illis intentabat exitium. Igitur improviso malo trepidi, voto B. Mariæ Lauretanæ facto, peregrinum nautico more sortiuntur. Nec mora tempestas repente sedatur, nauis cursum repetit, Anconam teret innoxia. Tantaque fuit nauis celeritas, ut sex non amplius horarū spatio ab Aulone, periuolarit Anconam. Ergo cuncti simul vectores, nautæque Lauretum profecti vota alacres exsoluunt, duplicitis miraculi præcones pariter testesque.

*Plures Turcarum seruitio eximuntur.*

*Cap. XVIII.*

*Anns Laur.  
Rier.*

**C**aeterum hi à vi Turcarum, alij etiam à seruitio liberati. Michael Boleta ciuis fuit Catarensis haud ignobilis. Hic captus à Turcis in oppido Cabala, non procul

procul Galipoli, versabatur. Quintum iam seruiebat annum, cum seruitij tædio libertatem spectare cœpit, & cum conseruis duobus agitare consilia fugæ. Itaque actuariū nauigium vacuum in portu sine custode nacti, ex compo- sito conscendunt, strenueque propellunt ab littore. Sed eorum fuga haudquaquam Turcas sefelliit. Qui confessim duobus expeditis, instructisque piraticis lembis fugientes seruos infectari summa ope coeperunt. Iamque haud pro- cul aberat, quin Michael cum socijs caperetur à Barbaris, graui, vtique supplicio, cruciatuque multandus. Er- go vniuersitatis hortatu, à Deo, Deiparaque Virgine, Lauretana exposunt veniam, opemque. Mira dictu, visuque res. Repente sedata coorta tempestas adeo mare, cœlumque turbauit, ut Barbarorum naues procul abege- rit. Et immissam diuinitus in hostes procellam res ipsa sa- tis ostendit, quippe eodem ipso tempore, eodemque tra- etu maris, Turcae iactabantur vndis; Christiani tranquil- lo æquore secunda aura ferebantur. Respectantes igitur, vt qnam procul abessent Barbari cernerent, ex vittatis ca- pitum tegumentis, quibus Tureæ vtuntur propileis (vt ea modo extolli, modo deprimi videbant, senserunt hostes insanis iactari fluctibus: nec iam de aliorum fuga, sed de sua salute sollicitos cum aduersa tempestate luctari, adeo diuinitus iniectus terror Turcarum animos à cura perse- quendi alios ad suimet tuendi curam auerterat. At Chri- stiani non vento magis, quam B. Maria obsecundante, in- credibili celeritate Catarum tenuere. Inde voti, cœlestis- que doni memores Lauretum delati, Christianis myste- rijs rite perceptis, Virgini grates agunt, eximium eius beneficium memorantes.

Laqueo